


habere hunc abusum. Cæterùm, quod præter omentum reliqua viscera etiam sint ventriculo οἶον δευδάσματα, quasi foculi quidam, pulchrè docet Gal. 3. Fac. nat. 7. 4. ul. part. 7. 8. & 9.



*υπολυωωδς
folius nigotij*

*Mens Aristotelis repetita additâ
explicatione ex Natura libro.*

CAP. VI.

ERgò hoc vult denique Philosophus. Lien extrahit chyli partem illam, quæ hepatis analoga non est, & ex eo sanguinem facit, adeoq; cum hepate est officina sanguinis, quem venosum dicunt Medici. Tamen Lienis non est ea felicitas, quæ hepatis. Hoc enim cum sanguinem facit multum, eumque bonum & laudabilem, ex chylo quippe bono & laudabili: ille sanguinem facit paucum, & non usque adeò bonum, vitio, non tam substantiæ frigidioris (quod Vall. vult) quàm materiæ. Est autem sanguis ille, uno verbo, tenuis & aqueus.

Hæc lienis actio quia est coctio quædam; in omni autem coctione fit separatio utilis ab inutili; non potest non heic etiam fieri tale quid,

Utile